Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

loquitur autem a cesare simul et ab aliis efflagitatur. Quamvis multum renuerit, pro eo quod erat impeditioris lingue, succincte disseruit. Accidens est inquit quadriforme. Unum quod nec accidit nec recedit, ut acilus et simus. Aliud quod accidit et recedit, ut saturitas et dormitio. Tercium quod non accidit et tamen recedit, ut infantia et puericia. Quartum non accidit et non recedit, ut senectus et canities. Hac quoque similitudine filius qui est virtus et sapientia dei patris, cui nichil impossibile, pro redemptionis nostre causa induit quasi per inseparabile accidens humanitatem, non amittens divinitatem. Sed hec omnia cum oculis fidei perspicienda sunt, quia sicut beatus GREGORIUS dicit. fides non habet meritum, cui humana ratio prebet experimentum. His et aliis salubribus verbis audientium corda mirantium condivit, ut ille filius belial pro errore satisfaciens ab egregio pastore veniam postularet. Vir autem promptior ad ignoscendum quam puniendum, aliquam ei penitentiam iniunxit, et ne ultra profanum illud reciprocaret verbum sub testimonio Christi et sub anathemate interdixit.

Inter tanta pietatis studia videtur pandendum, quod famulus dei egerit super gente Boemiorum. Hec namque gens nouiter christianam imbuta fidem, sacrilega ydola licet tepide abiecit. Sed quoniam katholicam exequeretur religionem, quod caruit pastore, prorsus ignoravit. At medius Otto cesar divine cultor pietatis precipuus religionis a glorioso duce Heinrico ceterisque fidelibus est interpellatus, ut quod apud ipsam gentem inchoatum esset, pro dei amore regali potestate perageret. Talibus quoque peticionibus cesar libenter assensum prebuit. Sed quoniam Boemia provincia sub Ratisponensis ecclesie parrochia extitit, peragi non potuit nisi ipsius antistitis presidio. Unde rex legatione missa ad episcopum petiit, ut acceptis pro parrochia predijs in Boemia sibi liceret episcopatum efficere. Tunc vir dei nimium letatus in his que dicta sunt, sed per maiores suos convocavit, exquirens ab eis consilium quomodo cesari conveniens redderet responsum. Illis autem ne peticioni tali consentiret unanimiter consiliantibus dixit. Preciosam quoque margaritam sub predicte latentem provincie terra conspicimus, quam non vendita rerum comparatione non acquirimus. Ideoque audite que dico. Ecce ego me meaque omnia libenter impendo ut ibi domus domini per corroboratam scilicet ecclesiam stabiliatur. Hec quoque commemorans consensurum se cesari remandavit. Cumque tempus peragendi concambii venisset, tanta fecit alacritate ut ipse privilegium componeret.

Sed neque hoc silemus, quia aliquando prophetie spiritu ea que ventura erant quasi presentia vidit. Quod maxime in provectibus liberorum precipui ducis Heinrici patefecit. Cum enim ad eum sicut sepe solebat causa benedictionis duceret speciosissima illius proles, Heinricum qui postea dei nutu rex est effectus prenominavit regem. Fratrem vero eius Brunonem appellavit antistitem. Sororem eorum maiorem reginam, alteram autem quam baptizavit et de sacro fonte suscepit, abbatissam nuncupavit. Hec itaque et multa alia que ex ore eius audivimus sicut ipse predixit impleta cernimus.

Alio quoque tempore cum idem beatus Wolfkangus inclinato iam die in vicum venisset quendam qui vulgo Egilofesheim dicitur, legatorio cuidam iussit, ut in die sequenti omnes circumquaque habitantes qui opus haberent confirmatione quantocius venire intimaret. Qui legatarius mox implere iussa cupiens et ad equum sternendum currens, repperit eum furtim sublatum. Quamobrem nimium tristis et dolens quid facturus esset ignorabat. Amor enim simul et timor compellebat eum celeriter implere iussa, sed implendi facultas erat nulla, quia nec spes in caballo alio requirendo, nec vires fuerant in tanta velocitate legationem suam indictam perficere posset ambulando. Preterea terra ymbre tunc nimis irrigata pediti via prebuit ingrata. Huiusmodi quoque angustiis aliquamdiu hesitans quid faceret, tandem consilius in domino elegit ut ambulando iussa perficeret. Cumque in nocte tenebrosa huc illucque pergeret et in via lutulenta sepius laberetur, clamare cepit. Miserere mei domine, miserere mei et tu mi senior Wolfkange. Attendens quantum laborem in patior pro tua iussa discurrendo et labendo. Cumque hec aliquotiens gemebundus diceret, perspexit cominus caballum quendam cum freno sellaque imposita astare. Arbitratus autem eundem caballum non sine aliquo ascensore ibidem commorari, cepit diligentius intueri, si quis forte cuius esset prope maneret. Pariterque vociferans interrogavit si aliquis ibi adsit. Sed illo diu vociferante et interrogante cum nullus responderet, vel adesset, ascendit ipsum equum, implevitque domini sui preceptum. Facta autem die multisque qui vocati sunt ad confirmationem in vicum supradictum convenientibus, inventum equum legatus obtulit coram omnibus, ab eis diligenter inquirens cuius vel unde foret equus. Veruntamen nec tunc nec postea inventus est ullus qui hunc diceret esse suum. Cumque re et legatus